



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

V. Quomodo tempore, & naturâ præmissæ conclusionem præcedant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

potentia necessaria, & ita si semel instruat omnibus prærequisitis ad operandum non potest non operari. Secundò voluntas ex suppositione intentionis necessitatur ad electionem mediæ creati: ergo pari ratione intellectus præmissarum potest necessitari ad assensum conclusionis. En ratio paritatis à voluntate desumpta respectu intellectus nostram conclusionem non solum non impugnatur, verum etiam propugnat. Tertiò quia illud, quod apparet evidenter verum, vel in se, vel ex suppositione præmissarum, non potest ex harum suppositione sub vlla ratione falsum apparere, & ita intellectus non potest non elicere assensum circa illud, bonum autem creatum semper admixtum habet aliquam rationem mali quæ possit intellectum retrahere ab illius amore. Deum cum iuxta communem sententiam vna veritas non sit maior aliâ, quodcumque obiectum verum, etiam creatum intra lineam creati est summum verum, hoc est non potest esse aliud obiectum creatum verius illo, nulum autem bonum creatum, adhuc intra lineam creati est summum bonum, quia quocumque bono creato assignato potest aliud bonum creatum assignari quod sit magis bonum.

Obiiciunt alij recentes: Suppositis præmissis voluntas potest imperare conclusionem directam, aut indirectam: ergo conclusio non elicitur independenter ab imperio voluntatis. Antecedens probant ex eo quod his positis præmissis, *Omnis homo est animal, Petrus est homo*, potest quis pro sua voluntate directè concludere: *ergo Petrus est animal*, vel indirectè: *ergo aliquod animal est Petrus*, quod experientia compertum esse affirmant. Caterum experientia suadet liberum esse conclusionem vocalem directam vel indirectam proferre, hanc autem libertatem in actu interno, seu in conclusione mentali nemo expertus est: Imò si hoc volueris experiri utramque conclusionem directam, & indirectam necessariò elicies. Respondeo ergo cum Hurtado supra §. 38. utramque conclusionem eliciendam esse ab intellectu, si ad utramque attendat, & intellectus virtutem habeat utramque simul eliciendi, quia non carere mihi persuadeo. Quod si utraque simul obiiceretur, & non posset simul ab intellectu elici, tunc daretur optio voluntati, ut quam maluerit, eliceret. Ut plurimum autem conclusio directa eliceretur, quia hæc clarius apparet intellectui, faciliusque agnoscitur.

PUNCTUM V.

Quo modo tempore, & natura præmissæ conclusionem præcedant.

Circa coexistentiam assensuum præmissarum, & conclusionis suborta fuit apud aliquos dubitatio ex D. Thom. 1. part. quæst. 14. art. 3. ubi ait, ideo Deum non discurre, quia non cognoscit vnum post aliud: ergo ad discursum requiritur cognitionum successio: ergo coexistere nequeunt cognitio præmissarum & conclusionis. Respondeo Angelicum Doctorem tantum docuisse potentiam discursuam posse habere actuum successionem, ex quo principio negat Deo potentiam discurrendi, non verò ex eo quod ad discursum requiratur actuum successio. Deinde etiam si in discursu exposceret D. Thomas actuale successionem actuum, hæc constituenda esset in eo, quod prius tempore eliceretur assensus præmissarum, quam conclusionis assensus, etiam si dum hic eliciebatur alter perseveraret, & uterque coexistere dum erat conclusionis assensus. Adducitur etiâ D. Thomas quæst. 58. art. 2. & quæst. 85. art. 4. ubi asserit non posse simul cognosci, quæ per plures species representantur: Sed obiectum præmissarum, & conclusionis cognoscuntur per plures species: ergo non possunt simul cognosci. Respondet Caietanus quæst. 85. nomine plurium specierum intelligendas esse species non subordinatas, species autem præmissarum, & conclusiones subordinari, & ita coexistere posse assensum præmissarum, & conclusiones. Melius intelligo interpretari D. Thomam si dicatur ipsum negare cognosci eadem cognitione, quæ per plures species cognoscuntur, difficile enim in alium sensum poterit illius doctrinâ defendi, experientia enim notum est, simul cognosci plura, in quibus nulla specierum subordi-

natio reperitur. Adducitur etiam Philosophus 2. Topic. cap. 3. ubi ait: *contingit autem sive plura, cogitare verum unum*: ergo ex mente Aristotelis non potest dari simul in intellectu duplex actualis cognitio. Respondeo Aristotelem tantum prædictis verbis significare plura posse habitualiter sciri, quam actualiter cognosci, non verò docuisse non posse simul cognosci plura. Item ergo assensum præmissarum & conclusionem posse coexistere, de quo nulla potest esse controuersia. Neque negari potest alterâ præmissam posse præcedere conclusionem, quia cum vna non inferat aliam, & per se sola non sufficiat conclusionem inducere, poterit absque alia præmissa, & absque utraque subsistere. Utramque præmissam non posse per se loquendo conclusionem præcedere, mihi persuadeo, quia utraque præmissa determinat intellectum ad assensum conclusionis, ut probavi Punct. præcedenti: ergo illud determinabit in primo instanti, in quo simul utraque existat. Si enim in primo instanti non determinaret intellectum, neque illum determinaret in sequentibus, cum in omnibus eadem sit ratio. Poterit autem ex accidenti v. g. ex distractione animi utraque præmissa esse in aliqua mensura temporis, in qua non sit conclusio, quæ ablato distractionis impedimento incipiet tempore posteriori præmissis.

Difficilius est, an conclusionis assensus poterit existere sine præmissarum assensu, vel quia elicitur postquam iam præmissæ transierint, vel quia elicitur præmissis existentibus, & postea deficientibus conservatur. Secundam sententiam, quam sum amplexus asserentem assensum conclusionis ferri in obiectum præmissarum, prius propositum per formales præmissas, non potest assensum conclusionis produci, neque conservari præmissis non existentibus, quia supponit obiectum formale applicatum per præmissas, quæ applicatione deficiente deficit conclusio actus, sicuti deficit actus voluntatis cognitione non existente. Censeo tamen supernaturaliter posse produci, & conservari conclusionis assensum sine præmissis. Moueor quia secundum hanc sententiam assensus conclusionis tantum dependet à præmissis formalibus tanquam à conditione applicante motuum, seu formale obiectum, eâ ratione, quia dependet volitio à cognitione: Sed hoc conditionis genus potest suppleri à Deo, & potest supernaturaliter dari volitio sine cognitione: ergo potest dari supernaturaliter assensus præmissarum sine conclusionis assensu. Tota difficultas huius rei in minori consistit, quam probabo Controu. 7. de anima, Punct. 3.

In sententia quæ asserit assensum conclusionis non attingere præmissarum obiectum, neque efficienter à præmissis formalibus pendere facile defenditur posse assensum conclusionis primò produci sine præmissis, & cum his productum sine eisdem postea conservari, quia intellectus, qui elicit hunc assensum propter veritatem formalem, quam in se habet consequens determinatur præmissarum assensu, poterit sine hac determinatione illum elicere, & conservare, sicuti voluntas, quæ elicit actum imperatum propter motuum intrinsicum proprium talis actus determinata actu imperante, poterit eandem elicere absque imperio, & iam hunc elicatum postea sine illo imperio conservare. Neque necesse est loco præmissarum influentium in conclusionem aliam substitui causam, si ipsæ deficient, quia cum causa physice non influit, neque per se ad effectum requiritur, necesse non est ipsâ deficiente aliam substitui, ut conservetur effectus, qui ab illa dependebat, ut videre est in actu imperato respectu imperantis.

Nota tamen tunc solum assensum consequentis dici conclusionem formalem, & illius obiectum consequens dici, quando actu dependet à præmissis, quia secundum hanc sententiam extrinsecum est assensui esse conclusionem, sicuti illi extrinsecum est ab his præmissis dependere, & ita assensus iste, *Petrus est animal*, conclusio dicitur quando ab his præmissis procedat, *Omnis homo est animal; Petrus est homo*. Idem verò si ab his non dependeat sicuti de facto potest non dependere, non dicitur conclusio, quia conclusio formaliter in ratione talis constituitur per hanc dependentiam extrinsecam actui, qui denominatur conclusio. Ex hoc inferes conclusionem formaliter ut conclusionem adhuc in hac sententia non posse existere sine præmissis, licet sine ipsis possit existere actus, qui accidentaliter, & extrinsecè conclusio denominatur.

In sententia quæ assertit præmissas efficienter influere in conclusionem: conclusio non poterit sine illis subsistere, quia assensus conclusionis involuit actionem, ex vi cuius producit, quæ per se ipsam est connexa essentialiter cum principio, à quo procedit, & adhuc supernaturaliter non potest ab illo separari.

Præmissas non concurrere effectivè ad assensum conclusionis, sed tantum directivè dixi Punct. 3. num. 6. ubi tetigi huius conclusionis fundamenta, quæ aliis locis ibi citatis latius expendo. Quomodo autem præmissæ assensum conclusionis dirigant explicui eodem Punct. 3. ubi dixi præmissas influere in conclusionem proponendo formale obiectum propter quod intellectus consequenti assentit, & elicit conclusionis assensum.

Contra prædictam conclusionem obijciunt nonnulli, ut probent præmissas efficienter in conclusionem influere. Id præstant præmissæ respectu conclusionis, quod species impressæ respectu præmissarum. Sed species impressæ concurrunt effectivè: ergo præmissæ eodem modo concurrunt. Confirmatur: si præmissæ non præcederent conclusionem necessarius esset specierum influxus ad illam eliciendam: ergo præmissæ suppleant defectum specierum. Sed species concurrerent activè: ergo præmissæ debent activè concurrere. Ob hanc rationem asserunt nonnulli assensum conclusionis non solum dependere à præmissis, sed etiam à speciebus impressis activè concurrentibus, quia intellectus indiget alio principio activo ad suos actus producendos, & cum præmissæ tale non sint, etiam illis positis species impressæ necessariae sunt. Respondent alij intellectum duo habere genera actuum, unum eorum ad quos exposcit principium actuum, quia ex se non habet sufficientem virtutem ad illos producendos, & huiusmodi esse præmissarum assensum ad quem species effectivè concurrunt, aliud eorum ad quos tantum indiget aliâ cognitione applicante motuum formale ipsum, ad quos producendos virtutem habet adequatam, & huiusmodi esse conclusionis actum, quem sine principio activo adequatè potest intellectus producere. Hac ratione præmissæ non subrogantur loco principij activi distincti ab intellectu, quod necessarium non est ad conclusionem producendam, sed in alio genere concurrunt ad conclusionem producendam, quæ non indiget principio ab intellectu distincto, sed tantum conditione applicante motuum formale, ex vi cuius intellectus dicitur illuminatus ad conclusionem eliciendam. Nec refert conclusionem nobiliorem esse præmissis, quia non præcisè ex eo quod effectus perfectior sit plura principia activa requirit, sed ex modo quo producit, volitio enim perfectior est specie impressa producta à phantasmate in intellectu, quam communis sententia admittit, & volitio supponit tantum animam ut principium actuum, & species impressa animam & phantasma. Adde in multorum sententia iudicium non dependere activè à speciebus impressis, sed tantum ab apprehensione tanquam à conditione, ex vi cuius obiectum proponitur, sed apprehensionem tantum à speciebus impressis produci. Ex quo duo inferes primum præmissas formales, quæ sunt actus iudicij non dependere efficienter ab speciebus impressis. Secundum, apprehensiones, quæ sunt actus imperfectiores iudicij dependere ab anima, à qua in genere efficienter adquatè iudicia dependent, & insuper dependere ab speciebus impressis, à quibus iudicia non dependent, quia eliciuntur non prævi applicatione motui, sicut eliciuntur iudicia, quorum obiectum per simplices apprehensiones intellectui applicantur prius naturâ, quam eliciantur iudicia. Concludo quamcumque ex supradictis solutionibus probabiliter defendi posse.

PUNCTUM VI.

De præcognitis ante totum syllogismum, & in ipso progressu syllogismi ante conclusionem.

Difficultatē hanc multi specialiter in demonstratione disputant, nescio quâ ratione cum communis sit in syllogismo probabilis & demonstrativus. Omnis demonstratio tribus terminis constat, subiecto de quo demonstratur, prædicato, quod demonstratur, & medio, per quod fit demonstratio. Ex his terminis inter se connexis

Franc. de Guideo, Philosoph. Tom. I.

principia resultant, ex quibus inferitur conclusio. Circa quamlibet rem duo possunt cognosci, nomen, & res. Deinde cognitio rei duplex esse potest. Una quoad esse rei, quâ cognoscitur hanc existere, vel esse possibilem, & cognitio rei quoad *quid est*, quâ saltem confusè cognoscitur quidditas rei in ordine ad aliquas proprietates, vel connotata extrinseca. His positis:

Dico primò: Ad inferendum per discursum aliquid de re, non sufficit cognitio nominis alicuius, aut omnium terminorum, quia si ego ignorem quid nomen significet, nihil potero prædicare de illius significato, de quo agitur, quia nomina, cuius significationem ignoro perinde se habent respectu mei in ordine ad rem significatam, ac se habent nomina aliarum rerum, & voces significationes expertus. Dixi ad demonstrandum aliquid de re, quia si demonstratio sit tantum de voce, vel de nomine, quæ ego intendam demonstrare vocem hanc *homo* esse aerem dearticulatum, vel esse nomen, quod per casum inflectitur distinctum à verbo, certum est necessariam non esse cognitionem rei significatæ, quia tunc illa demonstratione nomen ipsum est verbum.

Dico secundò: Per se loquendo cognitio nominis non requiritur ad inferendum aliquid de substantia rei, quia Angelus immediatè potest tendere circa res ipsas sine aliquo nomine. Er homo metaphysicè loquendo posset iudicium ferre de rebus ipsis, quas cognoscit in se ipsis seu independentem ab ipsarum nomine, & ex iudicio huiusmodi aliud etiam rei, nomine non interveniente: illarum inducere, in quo nulla apparet repugnantia.

Dico tertio: Ad illationem humanam moraliter necessaria est cognitio nominis, & raro aut nunquam vincitur difficultas, quæ est in syllogismo faciendo nullo rerum nomine interveniente, quam metaphysicè fieri posse supra dixi. Ratio desumitur ex communi modo concipiendi res, quas semper concipimus per nomina imposita, vel per aliquod signum, quod nos constituimus ad illas significandas in ordine ad nos, quia intellectus noster ob suam imbecillitatem sine his adminiculis vix potest intellectiōnem aliquam elicere, maxime supposita iam nominis impositione, ex cuius præexistente notitiâ naturaliter fertur in nomen concepta re, ad quam significandam impositum esse prænotuit. Quisque enim apud se experietur nunquam concipere hominis substantiam sine hac voce *homo*, neque rem lapidis sine hac voce *lapis*.

Dico quarto: Requiritur cognitio quoad *quid* rei ante ingressum syllogismi. Ratio est, quia implicat me elicere hunc assensum, *homo est animal*, quin aliquo modo prænotuerim, quid sit homo, & quid sit animal, quia iudicium de identitate duorum extremorum fundatur in cognitione de utriusque cognitione, convenientia enim unius extremi cum alio supponit quidditatem utriusque in qua fundatur: ergo non possum ego cognoscere convenientiam, quin prius saltem confusè præcognoverim quidditatem extremorum inter quæ convenientia versatur.

Dico quinto: Non semper prærequiritur cognitio extremitatum, quoad existentiam, aut possibilitatem illarum. Ratio est, quia aliquando syllogismus abstrahit ab existentia, & possibilitate subiecti, ut in hac demonstratione, *Omnis homo est animal: Omne rationale est homo: ergo omne rationale est animal*: in qua tantum agitur de connexione prædicatorum inter se, hæc enim propositio, *Omnis homo est animal*, etiam si homo repugnaret, vera esset, sicuti vera est hæc propositio, *Omnis bivoceus dicit formaliter essentiam Hirci, & Cerui*. Secundò, cum demonstramus rem esse possibilem, illiusque possibilitatem in conclusione inferimus, non requiritur ante ipsam conclusionem iudicium de possibilitate rei, hoc enim intendimus acquirere vi præmissarum, & de facto acquirimus in conclusione. Idem dico de demonstratione, qua rei existentia evincitur.

Dico sexto: Quando inquiritur de subiecto seu de illo intenditur ostendi aliquid accidens, præcognosci debet subiecti existentia, quia accidens supponit subiectum, & qui inquit an Petrus sit albus supponit esse Petrum in rerum natura, cui possit albedo contingere. Hoc intellige de accidenti quinto prædicabili, & de passione, quando inquiritur an actu subiectum afficiant. Non verò absolute cum passio inquiritur de subiecto, quia tunc convenientia de qua disputatur non supponit subiecti existentiam, tantum enim inquiritur an essentia ex se connexionem habeat cum accidenti, quod verificari potest essentia

L. 2. non